

EDICTUM

Conlocationis Concilii Provincialis IV Quebecensis.



CAROLUS-FRANCISCUS BAILLARGEON,

MISERATIONE DIVINA ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA, ARCHIEPISCOPUS
QUEBECENSIS, SOLIO PONTIFICALI ASSISTENS, ETC., ETC., ETC.

*Reverendissimis Fratribus Nostris Episcopis, nec non venerabilibus Abbatibus,
Capitulis, aliisque Provinciæ Quebecensis Ecclesiasticis, qui, de jure,
vel consuetudine, Concilio Provinciali interesse debent,
Salutem in Domino.*

Cum sacrosanctæ et œcumenicæ Synodi Tridentinæ decreto sancitum sit, ut provincialia concilia, siubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis, renouentur; atque propterea, Metropolitani, quolibet saltem triennio, post Octavam Paschæ Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, seu alio commodiori tempore, pro more provinciæ, non prætermittant synodum in sua quisque provincia cogere, quo Episcopi omnes, et alii, qui, de jure, vel consuetudine, interesse debent, convenire omnino teneantur (Sess. XXIV); Nos, quantum in Nobis est, officio nostro satisfacere volentes, sanctorumque Patrum exemplo adducti, expetita prius Reverendissimorum Fratrum Nostrorum Episcoporum sententia, re mature considerata, atque sacro Dei nomine invocato, ad majorem Dei gloriam, et utilitatem Ecclesiarum totius Provinciæ Quebecensis, Provinciale Synodum, in Ecclesia nostra Metropolitana Quebecensi celebrandam, indicere et convocare decrevimus, illamque in dicta ecclesia ad Feriam quintam Hebdomadæ primæ mensis Maii, diem septimam ejusdem mensis præsentis anni, in festo S. Stanislai Episcopi et Martyris, incipiendam, ac postea usque ad finem prosequendam, per præsentem indicimus atque convocamus.

Quapropter Reverendissimos in Christo Fratres, Marianopolitanum, Otta-
wiensem, S. Bonifacii (districtus *Nord-Ouest*), Trifluviensem, Regiopolitanum,
Halmitonensem, Torontinum, S. Hyacinthi, S. Germani de Rimouski, Sandovi-